

Missioni præpositum observant, docilitas, quæ ipsos maxime in concordia et omni virtutis officio continet. Priusquam e pago discedant ad opus in sylvis; agrisve faciendum, nunquam omittunt præter sacellum ire, ibique Christum in SS. Sacramento Salutare: idem redeuntes ante præstant, quam sua repeatant mapalia. Si pernoctandum Sit extra pagum, Si iter aliquo capeffendum, si ad venationem catervatim prodeant, certiorem faciunt sacerdotem, et ejus consilium exquirunt, neque cunctantur venationem aut opus aliud omittere, Si minus illi placere ac probari sentiunt. Parem in aliis omnibus erga illum obedientiam ac docilitatem adhibent, neque illum secus atque patrem rectoremque venerantur et audiunt.

Sed hæc facilia, cum domi sunt, et mutuis foventur exemplis: plus multo difficultatis et negotii est, cum proficiscuntur Quebecum, unde non longè absunt. Tunc ipsis occurront alii barbari, a quibus ad potandum invitantur: tunc instant avari caupones, a quibus pæne in popinas pertrahuntur. Verum a quinque annis, ex quo hic sum, neminem vidi non dico ebrium, sed ne aspersum quidem levi Suspitione hausti aut apud mercatores quibuscum negotiantur, aut apud caupones, barbarosve aliarum Missionum vini. Nonnunquam instant Galli, et religionem nimiam incusant: *Enimvero, inquiunt, quid criminis est, si quis obiter, si de via lasfus, si hospitis et amici causa, vini cyathum unum hauriat?* Respondent isti Laurentani magna cum libertate. Ita est, ut dicis, frater: